Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1891
Quelle:
Copyright:

aut prioris apud eum Epistolae subscriptio in mendo cubet, aut tituli Epistolis perperam sint adfixi; quomodo enim id *prosequendum* dicas, quod *peractum* dixisti? Quarta demum inscribitur: *De resecandis Hæreticorum reliquiis in Styria, Carinthia et Carniola:* Auspicatur ea: *Quod fælix faustumque sit Serenitati Vestræ ejusque in ævum semini* &c. et subscribitur: *Lavanti in profesto Divi Michaelis Archangeli Anno* 1615. Ita et apud *Hansiz.* p. 744.

CCCCLXXXII.

731 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVII. Folior. 158. 4. complectitur Excerpta e Scriptoribus Polemicis Catholicis *Jod. Keddio* S. J. *Joh. Zeschlino*, *Andrea Frommio*, *Jac. Kellero* S. J. et aliis congesta a *Mart. Nesselio Moravo Weisskirchensi Danielis* Bibliothecae Nostrae quondam Praefecti Patre, dum Scholae *Bremensis* Rectorem ageret. Itaque ad calcem adscriptum: *1662. Bremæ.* Huc pertinent, quae Epistolae suae ad *Petr. Lambecium* editae a *Kollario* in *Supplem. L. I. Commentar. Lambec. col.* 829. intexuit *Martinus*: *Hic* (Bremae) *singulari Dei beneficio et inspiratione, in veritatem Luther: Religionis facta inquisitione, et lectis studiose Pontificiorum Doctorum libris, deprehendi eam falsam; contra Catholicam veram et orthodoxam esse. Itaque abdicavi me sponte officio, et finito examine verno XXV. Aprilis Anno MDCLXVI. — Brunam Moraviæ usque veni* &c. Non igitur a. 1667. ut habet *Joecheri* Lexicon, quod et clam profugisse *Martinum* adserit, et e citata *Epistola* non parum emendari subplerique potest. Idem dic de supra memorato *Joh. Zeschlino*, quem neque *Wilh. Wolfgangi Palatini Neoburg.* Cancellarium fuisse, neque suum ad Catholicos transitum *Apologia* edita defendisse, aut apud *Joecherum*, aut in *Lexico Univ.* reperies.

CCCCLXXXIII.

Codex chartaceus germ. lat. 888
gall. Sec. XVI. f. compilatus est e variis Scriptis, quibus diversa Religionis Catholicae Capita impugnantur. Atque hic illorum Elenchus est: I. Consideratio de Doctrina, Ceremoniis et Adiaphoris germanica, inscripta: *Bedenckhen von der Ler, von nottigen Euserlichen stuckhen vnnd Euserlichen Mittlen Dingen*, et incipiens: *Es ist nicht an* (ohne), *Trennung Zweispalt vnnd Schissmata haben ein scheuzlichs ansehen* &c. Subscripsere *Lutherus*, *Bugenhagius*, *Jonas*, *Cruciger*, *Melanchthon*, *Amsdorfius* aliique 8. Notae temporis nullae. *Foll.* 16.

II. Epistola germ. *Lutheri* ad Matronam de Praedestinatione solicitam. Initium: *Gnad vnnd friedt in Christo. Tugendsame frau. Es hat mir euer lieben Briefe*

der